



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 2. De excellentia hujus sacrificii

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

modo in te debes annihilare omnem terrenam substantiam, omnes scilicet affectus inordinatos, gloriæ appetitum, prava desideria, dictamina hujus mundi, & quicquid perfectioni contrarium est.

§. II. *De excellentia hujus Sacrificii.*

**C**Um sacrificium sit primarium Religionis munus, planè decebat ut Christiana Religio, qua nulla perfectior & sublimior esse potest, nobilissimum haberet sacrificium, cujus excellentia ex multis capitibus colligi potest. Primò ex eo quod in illo offertur, qui est Christus Dominus, verus Deus & verus homo: & quia nihil excelsius illo est, ideò ratione ipsius actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones excedit, etiam actus sanctorum in Cœlis Deum amantium. Cavendum ergò ne nostra irreverentia & indevotione tam magnæ rei oblationem dehonestemus. Et si Deus olim sacerdotibus præcepit, *Mundamini qui fertis vasa Domini*, quantò majori puritate nos enitere debemus, qui purissimum Christi corpus, & pretiosissimum sanguinem Deo offerimus? Secundò ex persona cui offertur, qui est solus Deus. Nulli enim Sanctorum, nec ipsi Beatæ Virgini offerri potest, sed ex ipsa intrinseca rei natura convenit soli Deo, quia per sacrificium testificamur Deum esse primum principium & ultimum finem nostrum, & supremum Dominum omnium rerum, cui in signum nostræ subjectionis aliquod sensibile offerimus ad significandum per rem sensibilem oblatam sacrificium internum, quo anima se offert Deo sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis. Hoc autem nec ipse Deus per absolutam suam potentiam efficere potest, ut alicui creaturæ conveniat. Tertid, ex ipsa consecratione, qua panis & vinum in corpus & sanguinem Christi transsubstantiantur, manentibus accidentibus sine subjecto. Est autem hæc actio omninò supernaturalis, quæ nullo modo pendere potest ab aliqua potentia creata tanquam à causa principali, quia solus Deus efficit transsubstantiationem. Quartò, ex valore ip-

fius sacrificii, qui est infinitus sicut merita & passio Christi, ac proinde æquè placet Deo, ac mors ejus in cruce, licet effectus finitus sit. Quintò, ex fine propter quem cæteris omnibus abolitis institutum fuit, ut nimirum per ipsum Deo creatori nostro cultum patriæ tribuamus. nostramque servitutem & subjectionem humillimè testificemur: ut dignas ei gratias perpetuè agamus pro universis beneficiis ejus: ad auxilia divinæ gratiæ, ejusque protectionis, excitationis & directionis impetranda: ad obtinendam peccatorum veniam: ad iram Dei placandam, & imminetia flagella avertenda: ad succurrendum omnium vivorum & defunctorum necessitatibus; quæ sunt penè infinitæ. Porrò ex his clarissimè constat nullam posse majorem in hac vita, aut præstabiliorem actionem à mortalibus exerceri, quam offerre Deo hoc sacrificium. Ideò nullus seu Rex, seu Pontifex esset, qui Sacerdotem celebrantem quacunque ex causa accersere, cœptumque sacrificium interrumpere auderet. Quia verò Sacerdos hoc sacrificium peragit in persona Christi, ita se gerere debet, ne quid in ipso sit quod Christi personam dedeceat: sicut legatus Regis personam sustinens summoperè cavet, ne quid indecorum, & suo munere indignum committat.

§. III. *De ejusdem necessitate.*

**D**ebet sacerdos sollicitè considerare quam sit necessarium hoc sacrificium, quo summoperè indigent & qui sunt in hoc mundo & qui in purgatorio: hi ut citius liberentur, & ad perennem felicitatem perveniant: illi ut continuis Dei præsidii adjuventur. Ad ipsum enim spectat, tanquam ad legatum totius orbis, omnium petitiones ad Deum ferre, omnium necessitates spirituales & corporales eidem exponere, & singulis obtinere quod singulis profit ad salutem. Sunt autem necessitates spirituales primum peccata, quibus plenissima sunt omnia regna mundi in quovis ferè hominum statu & conditione. Deinde sunt tentationes internæ & externæ